



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. VI. Fiduciam in Deum sine cognitione divinæ providentiæ vacillare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

vacillam jugulare; si non aridas arbores ad virorem reducere, vacuum liberalitate manum, fecundiore stipe instruire. Hoc est quod exigit Christus: Habete fidem Dei. Qui hanc habet, ex omnibus malis aliquid boni elicit, ex omni plumbio argenti quippiam & auri colligit, quod artificii divini est: Nam, uti Boëthius, sola est divina vis, cui mala quoque bona sunt, cum eis compenter utendo, aliquid boni elicit effectum. Sed de hoc alibi uberius.

CAPUT VI.

Fiduciam in Deum sine cognitione divine Providentiæ vacillare.

IN mestissimâ illâ profectione Abrahami in montem Moria, ubi jugulandus erat filius, cum tertiâ jam die dilaceraret, & mons in oculis esset, Isaac qui ligna humeris subvehebat, patrem gladio armatum interrogans: Pater mi, inquit, ecce ignis & ligna, ubi est victimâ holocausti? Dixit autem Abraham: Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi. Pergebat ergo pariter. Utinam & nos, tunc maxime, cum aqua nobis hæret, cum exitum nullum reperimus, hoc unum assidue volveremus animo: Deus providebit, fili mi, Deus providebit. Exemplo demonstratur id quod dicimus: Multorum liberorum parens animam agit, hoc unum anxie sollicitus, quid suis liberis sit futurum: frustra vir bonus se cruciat: Deus providebit. Alius corpore quidem sanus, sed æger animo secum disquirat ipse: Ut se res mea habebunt, cum hoc auxilium, aut auxiliator ipse deest: vana plerumque sollicitudo: Deus providebit. Alius auri dives & avorum, non item virtutum: Quid si, ait ipse sibi, præter sententiam & spem? hoc mihi eveniat: Homo pusilli animi! Deus providebit. Qui confidunt in illo, intelligunt veritatem. Ita quondam Romanorum Imperator Maximilianus II. licubi res adversæ animum ejus sollicitarent, conceptum à se symbolum proferebat: Dominus providebit. Ita profusus, ita ad Deum mentis acies convertenda, qui non patietur in fraudem impelli fidentem in se.

Abrahamus, quem dixi, illud Dei mandatum divinis promissis, ut videbatur, rectâ contrarium, quam inexplicabili fiducia exequi est aggressus: Dici non potest, quot fiduciæ actus exercuerit illo triduo, quo in montem à Deo nominatum profectus est, illud secum assidue repetendo: Deus providebit. Verè providit, modo profusus admirando. Nam pater, inquit Chrysostomus, sacrificavit, filius seipsum obtulit, Deus utrumque acceptavit, & vita tamen mansit victima. Sic Abraham confusus Deo, pervenit usque ad montem, usque ad aram, ad ipsum usque gladium, ad ipsum usque filii jugulum, quod jam erat secundum. Nimirum altissime combibit animo vir sanctus, illud usquequaque certissimum: DEUS PROVIDEBIT. Divinum hoc pronuntiatum quisquis vult capere, quotidiano id usu discet optime, tamque in se quam in aliis mira deprehendet divine providentiæ vestigia. Et quæso, vitam nostram priorem compendio relegamus: per quot ambages & anfractus divina nos duxit providentia, quot quantisque periculis nos suaviter subtraxit? Quivis nostrum jure dixerit: Misit de celo & assumpsit me, & extraxit me de aquis multis. Prævenit me in die afflictionis meæ, & factus est Dominus firmamentum meum: liberavit me, quia complacui ei. Et quantâ vitæ, quanta corporis animique discrimina non adiit sed evasi? Deus providebit, fidamus Deo. Hanc autem confidentiam in Deum non assequetur, nisi qui & Providentiam Dei probè cognoverit. An sit Providentia, fugimus quærere: nam rectè Clemens Alexandrinus: Sunt, inquit, quæstiones quedam dignæ quæ puniantur: cuiusmodi est quærere probationes. An sit Providentia, cum sit manifesta divina Providentia ex adpectu omnium quæ videntur.

Tom. I.

Atur effectuum, quæ arte & sapientiâ constant. Est ergo Providentia.

§. I.

Sed quid est providentia? Est ipsa, inquit Boëthius, divina ratio in summo principe constituta, quæ cuncta strat in disponit. Optime de hac re Damascenus: Providentia, Theol. Na. inquit, est voluntas Dei, per quam res omnes apte congruèque gubernantur. Rem sic capiemus: Vidit Deus ab æterno quâ ratione quævis res creata suum finem posset assequi; simul etiam omnia impedimenta vidit, quæ in assequendo fine occurrere essent. Deinde hic idem optimus Deus, sanctissimâ suâ voluntate, ea delegit subministranda auxilia, per quæ omnes homines ad suum finem quàm optime ducerentur. Hæc verò statim ab Orbis ortu proposuit, & in opus deduxit per immensam suam potentiam. Ita divina Providentia, ut Dorotheus loquitur, fons est bonorum omnium. Hanc omnes philosophorum turbæ agnoverunt. Hinc illa: Deum lib. 2. de Fide sequere; Cum Diis pugnare noli; Id superis curæ, Videri Jupiter; Hoc in genibus Jovis situm, aliæque talia præcis usitata. Et hanc suam providentiam Deus mox ab initio, ipse etiam oculis ingessit per Orbis Diluvium, per Sodomeum incendium, per Calamitates Egyptias, per Alimoniæ nubibus submissam tor centenis milibus Hebræorum: quibus insuper inspectantibus leges condidit, præsentiam suam monstravit, viæ ducentem statuit columnam lucidam & igneam, emisit effusissimos volucrum nimbos, victorias dedit admirandas. Habet Deus providentiam omnium omnino rerum creaturarum. Res certissima est. Clamat Sapientia: Pusillum & magnum ipse fecit, & equaliter cura est illi de omnibus.

Ut autem nos Providentiæ divine noticiam altissimâ mente defigamus, hoc in fundamentum ponimus: Nihil uspiam Orbe toto fieri fortuito, & casu. Si res ad nostram duntaxat seu providentiam, seu scientiam exoritur, minemus, plurima casu quoddam & fortè fortunâ fieri putabimus, si ad divinam Intelligentiam, nihil sit casu. Divina namque intelligentia infinita est, extendique se sine ullo labore ad omne quod intelligi potest. Deus puncto temporis, uno eodemque, sic dicam, ictu oculi linus omnes & abyssos cali, terræ, maris, inferorum penetrat ac pervidet. Rectissime Jobus: Nihil, inquit, in terra sine causâ sit. Omnia in mensurâ, & numero, & pondere disposuit Deus ab æterno. Ita in rebus omnibus divinæ gubernationis admirabilissima elucet providentia, quæ non præest solum rebus omnibus, sed interest, imò ineest. Nos cæculi plurima putamus casu fieri, quæ tamen omnia ab æterno Dei consilio & providentiâ proveniunt.

§. II.

Sapientissime Augustinus: Et sic omnia, inquit, ad divinam providentiæ regimen referantur, quæ stulti quasi casu, & temere, & nullâ divinâ administratione fieri putant. Exemplo res patefiet: Herus è domesticis duos, herilis consilii ignaros, diversis viis mittit ad eundem omnino locum. Hic alterum alteri occurrere casus est, non domino, sed servis: Ita thesaurum reperit à paupere folklore, casus est quidem illi pauperculo, sed non Deo, qui opes illic ideo recondi voluit, ut cas hic ipse mercenarius eo loci fossurus reperiret & ditesceret, non casu, sed paternâ Dei providentiâ: Deo nil penitus fortuitum est. Idcirco

nemo temeraria credat
Forturæ gerî mundana negotia casu.
Omnia lege meant, quam rerum Conditor illis
Sancit ab æterno.

Canem pinxerat Apelles, cùmque in reliquâ omni parte sibi ipse satisfecisset, exprimere in eo spumam anheliantis se posse non judicabat: displicebat autem ars ipsa, nec alia inveniri poterat, & videbatur spuma illa pingi,

B b b

pingi,

pingi, non ex ore nasci, sicque longius à veritate discedere: Abstergerat sapius, mutaveratque penicillum anxio animi cruciatu, & nullo modo sibi approbans, cum in picturâ verum esse non verisimile vellet. Postremò iratus arti, spongiam eam impexit in viso loco tabula, & illa reposuit ablatos colores qualiter cura optaverat. Hoc exemplo similis & Nealcem successus in spumâ equi similiter impactâ spongiâ secutus dicitur. Nos hæc talia merissimos casus interpretamur, & totum fortunæ tribuimus, quæ in picturâ fecerit naturam. Erramus splendide; nam quod fortunam dicimus, altissima Dei sapientia & providentia est. Qui fortunæ aliquid tribuunt, Dei providentiam sepeliunt. Non casu fiebat, quod maxime casu factum videbatur, ut cadaver, metu latronum abjiceretur in sepulchrum Elisei, cuius ossa cum attigisset homo ille sepeliendus revixit. Non casu Moyses in vimineâ fiscellâ expositus, à filiâ Pharaonis inventus, & adoptatus est. Nec casu rex Achab inter cervicem & scapulas latus est: *Accidit autem ut unus de populo sagittam in incertum jaceret. Certissimâ Dei manu ferebatur hoc telum, sicut & illud in Julianum Apostatam: solum jacenti res erat incerta. Non casu aut fortuito hirundines Tobie domum involabant, & virum optimum visu privabant. Hanc tentationem ideo permisi Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientie. Disertè Angelus: Quia acceptus eras Deo, inquit, necesse fuit ut tentatio probaret te. Nihil sit casu. Ita minimè casu factum, quod Christo nascituro universus Orbis ab Augusto describeretur. Ad fontem Sichar non casu confedit Christus cum Samaritanis collocutus. Hæc omnia in tabulis divinæ Providentiæ annotata sunt, ab omni ævo.*

§. III.

Cum Cyprianus & Justina velut capitis rei ducerentur, Theodotus equo vehens, hoc solum dixit: Cum his hominibus iniquè agitur. Mox à Felicio assefore jussus est equo deici, & cum iisdem duci ad supplicium. *Judicia tua, Domine, abyssus multa! subitus hic casus videri potuit, Dei providentia fuit.*

Cum sanctus Ignatius Lojola à pedis vulnere jaceret æger, fallendo temporis librum petiit, qui equestria, & hoc genus profana ludicra commentis fucaret. At casu factum (ita nos loquimur) ut ea fabularum mendacia domi nusquam essent, sed eorum vicem duo longè melioris argumenti codices agro ferrentur. Altero Vita resque à Christo Domino gesta, altero ab Calitibus reliquis facta facinora perscribebantur. Hi libri salutis principium fuisse Ignatio, aliisque post Ignatium innumeris. At hos libros non casus aut fortuna, sed æterna Dei Providentiæ benignissimè, huic loco, huic & lectori destinavit.

Paphnutius interrogatus, quid causæ foret, quod illi proficerent, deficerent isti, sub eodem magisterio; hi caderent, illi starent? Respondit: Quæcunque fiunt, aut ad Dei beneplacitum, aut ex permissione Dei fieri: & omnia quidem quæ cum virtute conjuncta essent, secundum Dei beneplacitum; cetera verò quæ cum vitiis haberent affinitatem, damna & injurias in Orbem invaderent, Dei permisso fieri. Cur autem Deus tanta tamque frequentia mala permittit? Hic jubet Plato quiescere: *judicia Dei abyssus multa. Hoc optimè cepit, qui dixit: Sine consilio & providentiâ tuâ, & sine causâ nihil sit in terrâ. Didici etiam ex hoc inscrutabile judicium tuum expavescere, qui assigis justum cum impio, sed non sine aequitate & justitiâ. Præclarissimè Augustinus: Surgunt procellæ stagni hujus, inquit, vides malos florere, bonos laborare; tentatio est, fluctus est, & dicit anima tua: O Deus, Deus hæcine est justitiâ tua, ut mali floreant, & boni laborent? & Deus tibi respondet: Hæcine est fides tua? Hæcine tibi promissi, aut ad hoc Christianus factus es, ut in saeculo floreret?*

Componamus ergo animos, & in Providentiâ Dei

acquiescamus, quamvis impios dominari, pios opprimi, religionem everti, justitiam extinguere videamus: nihil enim horum fieret, nisi Deus id singulariter permitteret: non permetteret autem nisi iustissimè rationes ei suppeterent, atque adeò nisi melius esset, sic permittere quàm impedire. At inde gravia incommoda, & ingens animorum jactura sequitur. Dolendum hoc quidem, sed moderatè, quia iustissimis de causis sic placuit Deo, qui è magnis malis bona majora, velut gladium è vaginâ novit educere. Nec refert hoc arcana Dei regimen non ita jam apparere: supremo dierum tanquam in speculo cernitur totus humani generis decursus, & omnis Providentiæ divinæ ratio, quâ Deus & in singulis regnis, oppidis, familiis, & cû singulis hominibus est usus, ut pateat quàm benignus fuerit Deus in delinquentes, & quàm quisque illorum plus minùve sit inexcusabilis, quàm denique hæc gubernandi forma, quâ usus est Deus, fuerit & naturis rerum, & parefaciendæ ipsius gloriæ accommodata. Hoc jam sciamus, è malis omnibus Deum boni aliquid elicere. Quid tristis gentis humana lapsus? tam tamen Deus sic iterum erexit, ut prestare videatur sic lapsum esse, quàm semper steruisset. Mors Christi, summum in Orbe flagitium, eadem tamen fuit, & Orbis salus.

§. I V.

Pachomium quondam adiit Theodorus vehementi capitis dolore vexatus, petiitque hanc à suo capite intemperiem precibus averteret. Cui Pachomius: Patasne, inquit, hunc capitis cruciatum, aut simile quid, sine Dei permissione & voluntate contingere? Sustine, & cum voluerit Deus, medebitur: bona est à tibi abinentia, bona in egenos beneficentia, plus tamen lucratur æger, cum patiens & longanimis nutum divinum attendit. Hinc intelligere licet quoniam is minimè tranquillo futurus sit animo, qui in divinâ Providentiâ non quàm optimè fuerit fundatus. Sed nec ille diu miser esse poterit, qui hoc divinæ Providentiæ arcanum fide vivè penetravit. *Multa quidem tribulationes sustinet, at de omnibus his liberabit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur. Tot in humano corpore officula sunt & ossa, ut hominem dixeris Ossuarium. Ossium quædam clavorum vice sunt, ut dentes, alia sunt ut pyxides, ubi medulla, præsertim in coxis & tibiis, alia quasi consuta sunt, ut cranium, alia aliis infixa sunt, sicut januæ uncus cardini. Galenus medicorum Princeps, in humano corpore ossa ducenta numerat. Virgine inter medicos celebris, ducenta viginti quatuor assignat. Horum quodlibet, uti Galenus docet, quadraginta fines seu scopos, in usum corporis habet, adeo accuratè inter se omnia collocata sunt. Ergo ut ossa solum humani corporis in ordinem reponantur, plusquam octies mille scoporum seu finium observandi: Unicum ex his non conteretur, Deo non annuente; Custodit Dominus omnia ossa eorum. Neque verò Deus ut architectus est, qui cum struxit domum, deserit: Deus operi suo momentis omnibus non adest tantum, sed assidue in eo habitat.*

Seraphinus Firmanus vir eruditus & sanctus, secretum notatu dignissimum exponens; Sanctorum vita, inquit, per singula rerum ac temporum momenta à Deo sic temperatur ac regitur, ut omnia in eorum cedant bonum. Quid ni omnia? Nam, scimus quoniam diligenter Deum omnia cooperantur in bonum. Ita Deus suos singularissimâ tuetur providentiâ; adjecit illis oculum qui non sopietur. Hinc amabilissimum illud inter Deum sanctosque homines certamen: Illis nil suavius, quàm id semper velle facere, quod Deo placeat: Nec cedit his Deus, facitque semper, quod suos scit velle. Ludovicus Carbo vir ævo nostro inter Veneros magnus, rationibus docet, virum justum tam esse gratiosum apud cæli Regem,

Regem, ut quicquid rogat, impetret. Joannes Aposto-
lus hoc ipsum planissime affirmans: *Fiduciam*, inquit,
habemus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo
quoniam mandata ejus custodimus, & ea que sunt placita co-
ram eo facimus. Et eadem ista tertium repetit, ne ullus sit
locus diffidentie.

Dictaverat Deus Ezechieli vati panem immundum
ex hordeo, fabâ, lente, milio pinfendum, & humano fi-
mento contegendum. Horrorem ostendit Vates: mox
sententiam mutavit Deus. Jacob luctator: *Non dimittam*
te, inquit, *nisi benedixeris mihi.* Factum. Thomas Aquinas
in motu peregrinos pisces elurrit, mox eos miraculo
accepti. Res liquet: *Deus voluntatem timentium se facit, &*
deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos. Sed & ac-
canissima quæque suis detegens Deus: Num, inquit, ce-
lare potero Abraham quod gesturus sum? Nec aliter Christus:
Vos autem dixi amicos, inquit, *quia omnia quæcumque audivi*
à patre meo, nota feci vobis.

§. V.

Ud magister, qui puerulos litteras formare docet,
quandoque manum unius ducit, alterius nullam
habet curam. Quid causæ est? Ille puerulus bonæ indo-
lis est, ingenius, docilis, morigerus: iste importunus, in-
obsequens, intracabilis, asinus ad lyram. Ita Deus vo-
luntatem timentium se facit, sicque illos custodit ac re-
git per singula rerum ac temporum momenta, ut om-
nia in eorum bonum cedant, immorigeris istis & rebel-
libus dicitur: *Cum multiplicaveritis orationem, non exau-*
diat. Quid ita, ajunt, cur nos non acque custodit ac regit
Dominus, sicut illos, & illos, & istos? Vos ipsi in culpâ
estis: *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum.*
Vultus autem Domini (vultus indignatione plenus) super
males, ut perdat de terrâ memoriam eorum. Morigeris illis
à Deo promissum: *Cum transferis per aquas tecum ero, &*
flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combu-
raus; clamabis, & dicit: Ecce adsum. Et ego ero ei, ait Do-
minus, *ut ignis in circuitu, & in gloria ero in medio ejus.* Ho-
minis ad Dei Voluntatem se formantis animum, Deus
ad velut solum suum occupat, in eoque tanquam rex resi-
det. Adhuc jam qui hunc hominem velint ledere, Deo
licentiam non concedente. Insignissime dicit Ambro-
sius: *Dominus dormit tepidis: vigilat perfectis.* Non quod il-
lorum obliviscatur quos monet, reprehendit, excitat,
castigat; sed quod suam in suos providentiam singulati-
bus modis & argumentis plurimis demonstret. Jacob
interrogatus à fratre de comitatu: *Parruli sumus, respon-*
dit, quos donavit mihi Deus servo tuo. Ita placide illum docuit
(ait Chrysostomus) *quanta erga se Dei fuerit providentia.*
A Deo probi curantur ut amici, ut filii, improbi ut man-
cipia & servi. Et quamvis Deus pæne invitus naturæ
turber ordinem, cum tamen milles iterumque milles
in amicorum suorum gratiam invertit. Hinc res gestæ
Divorum tot prodigiis & miraculis admirandæ.

Hæc admirabilis Dei Providentia instar scalæ est,
quam Jacob sub dio pernoctans vidit à terrâ in cælum
ulque pertingentem. Omnia cæli terræque negotia
providentissimus Deus jam ab æterno habuit in expe-
ditu, *Attingit enim à fine usque ad finem fortiter, & disponit*
omnia suaviter. Nam, *Tua, Pater, providentia ab initio cun-*
cta gubernat. Non enim est alius Deus quam tu, cui cura est de
omnibus, ut ostendas quoniam non injuste judicas judicium.
Ea hujus providentiæ vis est, ut re nulla impediatur, falli,
tardari aut flekti possit: ea verò suavitas, ut nil agat contra
cujusque naturam, fortissimè ac suavissimè omnia
& prævidendo & disponendo.

Simile quid somniantur veteres, catenam auream fa-
bulati, quæ cælo demitteretur in terram, & ubi omnia
comprehendisset, in cælum denuo attraheretur.
Est igitur in Deo, fuit, eritque pervigil illa & perpes-
cua, quæ res omnes inspicit, adit, cognoscit, & cognitas
Tom. I.

A immortâ quâdam & ignotâ nobis serie dirigit ac guber-
nat. Id autem est quod Providentiam hic vocamus,
de quâ sepe non dubitamus, sed querimus, ut pueri
severioris patris disciplinam exoli. Mittamus aliquan-
do has querelas, & si sapimus, sequamur ab alto attra-
hentem illam vini, & æquum censamus, ut homini pla-
ceat, quicquid placuit Deo.

Quare ad infinitam Dei Providentiam quotidie
confugiamus. Cum enim Orbem tot ac tantis sceleri-
bus oppletum aspexerimus, illud unâ venit cogitan-
dum: *Quoniam prospicit quod venit dies ejus.* Si ex Orbe Ps. 36. v. 13.
reducamus oculos domum, & nos ipsos intueamur,
providentiam circa nos tam pervigilem, tam plenam
amoris observabimus, ut nec unicus quidem capillus
capite defluat, id ignorante aut vetante divinâ provi-
dentiâ. Hinc Augustinus excelso animo: *Quid mihi deerit, Aug. ser. 4.*
inquit, *si membra mea dilaceret inimicus, quando capillos de mari*
meos dinumerat Deus?

CAPUT VII.

Quanta Dei Providentia sit circa vitæ
necessaria.

Omnia quidem in manu Dei sunt, non malè tamen Dei res
quispiam dixit, res claves Deum penes se habere, claves
quas nemini committat: unam quidem clavem ad pro-
mendas pluvias, ventos, nives & alios ejuscemodi par-
tus æris, clavem alteram ad referenda sepulchra, & re-
vocandos in vitam mortuos; tertiam ad penu & omne
genus alimonie. Quod si Deus has promptuaras cel-
las occludat, quis aperiet? Ergo Deus rerum omnium
promus condus: ab ipso impetrandum, quicquid du-
cendæ vitæ necessarium est.

§. I.

Marcus Anachoreta dicere solebat: Qui Deo non i. Argumē-
fidit in his caducis, quanto minus fideret in aliis tum quo
æternitatem spectantibus. Et primum argumentum
Christus nostrâ ar-
guit diffi-
dentiam.
Nōne anima plus est, quam esca, & corpus plus quam vesti-
mentum? Hic validissimis argumentis eximit animo sol-
licitudinem illam pessimam circa vestitum & victum,
docetque in almâ Dei providentiâ unice confidendum.
Si enim Deus tam providens & liberalis est in iis, qua-
videntur operosiora, cur Deum oblivionis arguimus aut
incurtæ in ceteris minus operosis? Si corpus dedit, cur
vestem neget? qui donat equum, cur subtrahat frenum?
Nōne vita pretiosior est quàm id quo alitur vita, &
corpus præstantius quàm id quo regitur corpus? utique.
Qui ergo nihil sollicitis, imò nec quidem existentibus
nobis in rerum naturâ, vitam corpusque dedit, dabit
procul dubio & ea quibus vita & corpus sunt susten-
tanda, præsertim cum ipse voluerit vitam corpusque his
indigere. Si ergo majora dedit ultro, declaravit se mino-
ra etiam & posse, & velle dare. Dabit autem non qui-
dem otiosis nobis, quos non ad otium creavit, sed va-
cuis sollicitudine; hanc enim Deus in se vult rejici. Pul-
chre Jobus de corvorum coco interrogans: *Quis, inquit, Job cap. 39.*
preparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant vagan-
tes, eo quod non habeant cibos. Hoc ipsum ab avibus sum-
ptum argumentum ingerens & Christus: *Respicite, in-*
quit, volatilia celi, quoniam non serunt, neque metunt, neque vers. 26.
congregant in horrea, & pater vester celestis pascit illa: Nōne
vos magis pluris estis illis? Hoc ipsum sæpius inculcans hic è
cælo magister: *Nōne, inquit, duo passeris asse veneunt, & Matth. c. 10.*
unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri vers. 29.
autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo ti-
mere, multis passeribus meliores estis vos. Luc. cap. 12.
vers. 7.

Alterum argumentum sumit à brutis animalibus, 2. Argu-
qua citra omnem sollicitudinem pascuntur, ut vel in il-
mentum.